AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS

ERVDITISSIMO VIRO M. RICHARDO MARCES DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An à solâ diætâ valetudo?

CORPVS humanum, duobus conflatum principiis, quatuor constat elementis æqualiter concurrentibus, & ex concordi discordiâ concentum efficientibus: Variis proinde mutationibus obnoxium, ac totum ab vtero morbosum. Cuius triplex substantia ab insito calore dissipatur, alimento congenere reparanda. Nullum tamen est tam benignum, vt vniuersum coctione possit mutari. Vnde prouentus excrementorum necessarius. Hinc morborum Ilias: hinc senectus, neque canitie, neque annorum numero æstimanda: Hinc denique mortalitas omnibus æqua & innata. Illi declinari, hæ quamquam arte nullâ deuitari, retardari tamen possunt, aut anteuerti.

CORPORIS affectus naturalis actionem perficiens sanitas est, summum & vnicum eius bonum. Consistit in partium similarium probâ temperie, organicarum legitimâ structurâ, & omnium vnione. Eius causa interna est humorum & spirituum bona constitutio: Externæ, sunt aut fortuitæ, aut necessariæ. Præsentis signa sunt omnium actionum integritas, excretorum retentorúmque symmetria, & qualitatum naturalium constans sinceritas. Ad eam conseruandam vnica & perpetua indicatio est similitudinis, vt ad morbum curandum contrarietatis. Vtrúmque præstat medicus Chirurgiâ, Pharmaciâ, Diætâ. Hæc in omnibus morbis magnum habet momentum, plerísque etiam sola medetur: illæ vt ægris plerúmque salutares, ita sanis semper laboriosæ.

DIÆTÆ scopus duplex, exhaustum instaurare, & excrementa expellere. Vtérque adipiscendus rerum non naturalium vsu opportuno, maximè verò laboris & cibi. Hic pro ratâ illius portione assumendus. Ambo contrariis facultatibus præditi, mixti conferunt ad sanitatem: Quam iuuant plurimùm boni mores, neque desidiâ, neque luxuriâ corrupti. Inertes faciliùs grauiúsque ægrotant, & tristiùs curantur, quàm exercitati. Ignauia corpus hebetat, labor firmat: Illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Labor quidem crudis & famelicis molestus, sed prauorum ciborum offensiones auertit. In omnibus qualitas, quantitas, & modus seruari debet, & definiri indicationibus petitis à sani cuiúsque corporis naturâ. Hac arte pleríque, præsertim humidiores, commodâ fruuntur valetudine, & tardè, citráque molestiam ita consenescunt, vt sola illis supersit ex senio prudentia.

INDICATIONIS societatem coëunt ætas, sexus, anni tempus, regio, corporis habitus, consuetudo, aliáque eiusmodi. Vinum vt pueris alienissimum, ita senibus aptissimum. Vtrísque victus humidus conuenit. Mulieribus siccior. Hyems copiosissimum cibum, potum parcissimum postulat. Lutetiæ plus esse licet, quàm Romæ. Carnosis, mollibus, & rubris siccior victus ex vsu est. Duris, gracilibus, fuluis, & nigris humidior. Consueta longo tempore, etiamsi deteriora, insuetis minùs solent esse molesta. Vna tamen certa & stata consuetudo, licet bona, valdè periculosa.

DIÆTETICÆ ab auis frugalioribus minùs excultæ necessitatem inuexit nepotum intemperantia. Quæ morborum mater, medicorum alumna, canitiem, senectutem, & mortem fato celeriùs accersit, nouáque, & Hippocratis seculo non audita, morborum portenta profert, & fouet. Hinc lues Venerea, fœdorum symptomatum parens, & educatrix, solo Hydrargyro expugnanda. Hinc mulieribus ante legitimam mensium suppressionem, pueris Venerem non expertis, & Eunuchis, podagra diætâ præcauenda. Hinc abortus frequentiores, victu parciore, vel venæ sectione declinandi.

Ergo à solâ diætâ valetudo.

PONEBAT FRANCISCVS ELLAIN PARISINVS ANNO DOMINI 1598.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Ioannes Groust.	*M. Georgius Cornuty.*	*M. Nicolaus Marchant.*
M. Symon Pietre Professor Regius	*M. Ioannes le Moyne.*	*M. Franciscus Duport.*
M. Ioannes Duret Medicus & Professor Regius.	*M. Stephanus Dufour Medicus Regius.*	*M. Guillielmus Lusson Medicus Regius.*